



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

18. Novembris. Ad unionem ex utraque parte juvabit omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui amor gravissimus hujus unionis, ac boni universalis hostis errare solet. S. Ign. p. 8. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

quàm centies repetitis alius objurgationibus. Cynicus, ut nulli parcit, quem non mordeat, sic exosus fit omnibus, communis odii scopus.

Magnum naturæ donum affabilitas, quam si ea parcior cui negavit, is arte conetur obtinere. Sæpius artefacta naturam superârunt. Affabilitas studiosa tantò naturali prævalet, quantò ars præ natura certior est magistra.

18. Novembris.

Ad unionem ex utraque parte juvabit omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui amor gravissimus hujus unionis, ac boni universalis hostis errare solet. S. Ign. p. 8. c. 1.

OMnia hæctenus in orbe bella conflavit meum, & tuum, contumax verbum, nec nisi lite, aut bello dirimendum; hoc ubi classicum intonat, actum est de mentium unione.

Æquilibrium sperari non potest, quàm diu bilancem alteram pondera prægravant; contrà, si vacua sit bilanx utraque, in promptu est æquilibrium. Sic facilis ibi coalescit concordia, ubi nulla est temporalium cupido.

Nec publica prius, nec privata belli cessabunt incendia, nisi ligna igni, id est, terrenarum rerum desideria, subtrahantur; hæc sunt, quæ flammis alimenta ministrant. ¶ Nato Christo, factus est in pace locus ejus, quia pauper positus in præsepio, nihil mundi opibus concupivit. Ubi suspicio de regis titulo Herodi innotuit, pax bello, & tot innocentium cædibus est profligata.

19. Novembris.

In tentatione accersenda est spes, & cogitatio ad futura brevi consolationis: præsertim si per sanctos conatus desolationis conatus sensim frangatur. S. Ignat. in exerc.

Non naturæ solius iste cursus est, ut nox succedat diei, læta cursum alternent cum tristibus, verum & gratiæ; si nunquam nos exercerent nubila, nesciremus serenum æstimare.

Sinit desolationes Deus, vel ut ambidextros efficiat, & utrique forti assuescere doceat, vel ne quiete perpetuâ nimium extollamur, aut certè, ut unde petendum sit auxilium, erudiamur.

Etiam per fluctus navigatur ad littus. Hæc Deum amantis animæ consolatio sit, quod